

JESU BENEVOLO REGENTE.
DISCURSVM HVNC IVRIDICVM

Textus in Digestis

Difficillimi, Leg. I. pr. de Obli-

gat. & Actio. Resolutivum,

Indultu Magnifici & Nobilissimi Jctorum

in illustri Leucorea ordinis,

SVB PRÆSIDIO

VIRI

Nobilissimi, Jurisconsultissimi atq. Excellentissimi,

DN. GOTHOFREDI SVEVI, J. U.

D. & Codicis P. P. famigeratissimi, Curia Electoralis,

Facultatis Juridice, Scabinatus, Consistorii Ecclesiastici &

Dicasterii inferioris Lusatia, Assessoris eminent-

tissimi,

Dni. Patroni & Praeceptoris mei, æviternum

suspiciendi & devenerandi,

publico Dominorum Commilitonum Examine &

dysquisitioni submitto,

JOHANNES BAPTISTA RITTERUS,

Halâ Saxo, A U T O R.

in

Auditorio Jctorum

Die Decemb.

WITTEBERGÆ
TYPIS IOHANNIS HAKEN.
A. O. R. cl. l. LVII.

47a

1825

23

VIRIS

MAGNIFICO, MAXIME STRENO ET
NOBILISSIMO,

DOMINO GEBHARDO AB *Uoensleben/*
Hereditario in *Neuen Gattersleben/* Reverendissimo,
Illustrissimo atq; Celsissimo Principi ac Dn. Dn. AU-
GUSTO, Postulato Archiepiscopatus & Primatus
Magdeburgensis Administratori, Duci Saxoniae
Iuliaci, Cliviae & Montium &c. à Consiliis
intimis,

ut &

MAXIME REVERENDO, MAGNIFICO &
EXCELLENTISSIMO,


DOMINO JOHANNI OLEARIO, S. S.
Theologiae Doctore famigeratissimo, eidem Reve-
rendissimo & Illustrissimo Principi, à Confessionibus
Concionibus Primariis Consiliisque Ecclesia-
sticis, & Alumnorum Ephoro,

PATRONIS
STUDIORUM MEORUM
OPTIMIS MAXIMIS

*Disquisitionem Hanc JURIDICAM,
Juxtaq; me totum, eâ quâ
par est, observantia,
humiliter*

Dico & offero

AUTOR.



Σὺν τῷ Θεῷ.

DISCURSUS JURIDICUS

*Textus in Digestis Difficillimi, Legis 1. pr. de obl.
& act. Resolutivus.*

PROOEMIUM.

Inem Jurisprudentiæ nostræ eò u-
nicè intendere, ut æqua sit rerum
facies, neminem tam contradicē-
tem forsitan invenero, qui non ve-
ritati victrici tandem, ad tempus
cedere satius duxerit. Testantur hoc ipsum,
(quamvis non negaverim abusus) tot sapien-
tissimæ Nobilissimorum Jurisconsultorū, quod
mireris, ethnicā etiam nube infectorum, in de-
cidendis litium turbis rationes, quas quidem,
à pio Christianorum judicio proximè abesse,
exemplo Papiniani Jcti elegantissimo, mon-
stratur in *lis D. de cond. inst.* Justitiam inde Juris
nostri constitui finem, prona est consequentia.
Eam quidem ex Hotomanni ingenio, non fin-
gimus gentilem, Deam quandam Jovis filiam,
neque hujus nos mancipavimus sacerdotio. *l. i.
§. i. D. de just. & jur.* neque Accursiano exem-
plo, Divinam definimus, *pr. Inst. d. tit. Gl. 10. D.*
A 2 eod.

eod. Sed Humanam, habitum legibus obtemperandi, *Arist. 5. Eth. c. 2. & 3. & δικαιονόμιμον, d. cap. 3.* Quæ, utut Reipublicæ, magistratibus & legibus suum præstet, obedientiam scilicet, de bonis tamen externis magis cogitat, ut secundum proportionem Geometricam & Arithmetica, in distribuendo & commutando, justo procedat æquilibrium. De utrâque illâ proportionem, in distributiva & commutativa perpendendâ justitiâ, maxima est **I**ctorum opera, qui quanta diligentiores, tanto etiam operosiores, in difficillimâ Obligationum, utpote quæ ad commutativam justitiam sese referunt, materiâ, occupantur. De hâc, methodum *Cajus in l. 1. pr. de Oblig. & Act. insecuti*, brevia quædam, neq; subtilia, sed prout extemporaneo ferè exciderunt calamo, tractabimus. Tu vero **D E U S** Ter Optime M. unice studiorum meorum auctor, blandâ spiritus tui gratiâ dabis, ut tibi militem.

Textus L. 1. pr.

de
Oblig. & Action.

Cajus Libro 2. Aureorum.

Obligations aut ex contractu nascuntur, aut ex maleficio, aut proprio quodam jure, ex variis causis, rum.
figuris

Si Cum

§. 1. **C**um tria sint juris objecta, Personæ, res & actiones, §. 1. *alt. Inst. de jure N. G. & C. l. 1. D. de statu hom.* Res a. non simpliciter considerentur, sed quatenus personæ jus circa illas habent, quod certis modis acquiritur, conservatur & amittitur, *l. ult. D. de leg.* Hinc jus illud 2. à Dd. constituitur, in re & ad re: illud est jus circa re, per quod res ipsa devincta est, adeoq; actionem ipsam rem persequentem producit, *l. 25. D. de obl. & act. l. 19. pr. l. 13. §. 1. D. de damno infecto. D. Struve synt. jurispr. Tom. 1. tit. de rer. div. th. 88.* Hoc nihil est aliud, quam obligatio. *l. 3. D. h. t. cujus uti in jure nostro elegantissimi omnium habentur tractatus, ita non exigua est voluptatis, in causas ejus inquirere, tradit eas Jctus Cajus in h. t. de cujus enodatione breviter videbimus.*

§. 2. OBLIGATIONES.) Multa in legis nostræ frontispicio, à Dd. disputari solent de obligatione, an illa ad Primum, an v. secundum, aut Tertium juris objectum debeat referri. *Theophilus, Accursius,* & quotquot veteribus non sunt contrarii Doctores, tertio accensent: Verum si effectutenus, ut illi, loqui velimus, eadem ratione jura in re, quippe quæ omnia actionem realem producant, eodem essent collocanda loco, quod tamen, si veritati proprius collimemus, nemo saniorum dixerit. *Vultejus contra lib. 1. disc. Scholast. c. 16. & ad rubric. tit. Inst. de oblig. n. 6. Ant. Math. Coll. inst. 2. Disp. 3. & novissimè alii plures, ad personas referunt, sed itidem perperam, vel ex ipsis eorundem rationibus: 1. quia sic usus & usufructus, maxime ad Primum juris Objectum debebant referri. 2. quia licet obligatio inhæreat personæ, non tamen eidem inhæret quatenus personæ, cum hoc respectu, Imperator personas nullibi dividat in creditores & debitores. 3. quia objectum obligationis non est persona, sed res ab eâ debita, & absurdi essemus, si libellum in personam objective conciperemus. vid. *Vinnius Comm. ad Inst. rubric. de oblig. n. 2. stabilior itaque est sententia eorum, qui rebus eandem annumerant, probata per pr. Inst. de reb. corpor. & l. 1. §. 1. de rer. div.**

§. 3. Poterit a. Obligatio, in conceptu suo generalissimo considerata, definiri, quod sit vinculum juris, quo quis

alteri ad aliquid tenetur. Dico 1. quid sit vinculum, ut sub genere Metaphorico, à vinculis corporeis desumpto, effectum quodammodo comprehendam. *Glossa in pr. Inst. de oblig.* Dico 2. Juris, eoque præscindo & abstraho à jure naturali, Gentium & civili, quæ varias obligationes, formam & effectum diversas producant, sicque definitio illa, omni potest coaptari obligationi. Dico 3. quo quis alteri ad aliquid tenetur, secundum vim juris sc. de quo agitur, alius n. est effectus obligationis naturalis, alius civilis illius, ut videbimus.

§. 4. Dividitur obligatio in jure, in Naturalem & Civilem. *l. 14. D. de oblig. l. 1. D. de novat. l. 41. D. de cond. indeb. l. 95. §. 4. D. de solut. §. 3. Inst. Q. m. oblig. tollitur.* Naturalis obligatio, est vel juris Naturalis in specie, vel juris Gentium: illa est, quæ quis alteri tenetur ad præstandum id, quod pudor & honestas exigit, qualis est obligatio ad *arridwca*, *l. 25. §. 11. de hered. pet. l. 54. §. 1. D. de furtis.* Hæc est vel illicita, & quæ alibi forsitan, vel licita. Est vinculum æquitatis, quo quis adstringitur ad præstandum id, quod vel promissum, vel alio modo modo honestè debitum est, *l. 1. §. 1. D. de pact. l. 1. D. de const. pec.* Hæc obligatio, si in thesi consideretur, in quantum ex jure G. descendit, verè efficax est, etiam ad actionem producendam *l. 1. pr. l. 7. pr. D. de pact. Paulus lib. 2. Frag. tit. 14. vid. eleganter. VVesenb. Parat. de pact. n. 9. ibiq. Cl. Hahnus.* Quod n. ipsæ etiam actiones, non quæ tales, sed simpliciter & ratione originis consideratæ, sint juris Gentium, planum est, ex *l. 5. D. de just. & jur. e. l. 1. §. ult. de cont. empt. l. 1. D. locati. l. 25. rer. amot. l. 22. §. 5. D. mand. Harpr. ad pr. Inst. de act. n. 8. Usillus d. tit. Inst. ad rubric. n. 38. Benincasius ibid. n. 243. & seqq. Trentl. Tom. 1. disp. 1. th. 4. lit. d.*

§. 5. Sin in Hypothesi juris Civilis, secus est: Inter est n. eo jure, an toleretur obligatio juris G., an v. reprobetur; illic, omnes civilis obligationis effectus, exceptâ solâ actione, sustinet, i. exceptionem *l. 7. §. 4. de pact. l. 95. §. 4. D. de solut. 2. retentionem l. 13. D. de cond. ind. l. 10. h. r. l. 1. §. 17. D. ad leg. Falcidiam. 3. Cõpensationem l. 6. D. de compens. 4. Novationem, l. 1. §. 1. D. de novat. 5. Constitutum l. 1. §. 7. D. de const. pec. 6. Pignus l. 5. de*

de pignor. 7. fidejussione l. 6. §. 2. l. 16. §. 3. D. de fidejuss. Hic vñ
non item l. 16. §. 1. ad SC. Vellejanum l. 9. C. eod. l. 7. D. ad SC. Ma-
ced. Vinnius Comm. Instit. de obl. ad rub. n. 8.

§. 6. Obligatio Civilis, de qua J. C. t. h. c. loci agit, per
rubric. & pr. l. i. h. t. aliter definitur in l. 3. h. t. aliter in pr. Inst.
de oblig. Non ineptè ita, quod sit vinculum Juris Civilis, quo
quis alteri vel ex lege, vel facto suo tenetur, ad aliquid dan-
dum, præstandum, vel faciendum. Dicitur ad aliquid dan-
dum, præstandum, vel faciendum d. l. 3. D. h. t. §. 1. Inst. de act. ut
innuam effectum obligationum civilium, qui alias resp. con-
tractuum, aliorumque negotiorum, civilem obligationem
producentium, ortus dici solet, actionem sc. personalem; cu-
jus forma intrinseca consistit in eo, ut debitorem conveniam⁹
vel ad Dandū, i. e. Dominium transferendum, §. 14. Inst. de a-
ct. on. l. 75. §. ult. de V. oblig. l. 25 §. 1. de cont. empt. quæ actiones, a-
lias conditiones in specie dicuntur, §. 15. Inst. de act. vel ad Præ-
standum, d. §. 1. Inst. de act. v. & alius quibusdam modis, Quæ for-
mula, locum habet in actione ad exhibendum in rem scriptā,
commodati, depositi, & omnibus aliis, quibus Dominus cō-
tra non Dominū ex obligatione experitur, Magnif. D. Frantz-
kius Exerc. 13. Q. 5. n. 5. & seqq. vel Faciendū, d. §. 1. l. 3. D. h. t. sci-
licet factum nudum & simplex, quod in constante labore, &
motu, ut loquuntur, successivo consistit, non v. qualificatum,
quod præstationem l. 175. de V. S. & dationem comprehendit,
ut fit, quando absolutè ponitur, l. 218. d. tit. vid. V. Vesenb. Comm.
Inst. §. 1. de act. Giph. ad l. 3. D. h. t. n. 13. dissentit Hunnius & Ho-
mannus, ad d. §. 12

§. 7. Potest a. Obligatio Civilis dividi, 1. à Causā effi-
ciente remotā, in Civilem & Prætoriam, §. 1. Inst. de act. atq;
illa iterum, in talem inventionem, qualis est obligatio ex stipu-
latione, contractu literali, vel approbatione. vid. Doctores
passim ad d. §. 1. 2. à causa efficiente propinquā in immediatā,
quæ ex ipsā lege, sine hominis facto, enascitur, l. 52. §. 5. D. h. t.
& mediatam, quæ ex hominis facto ad actionem producendā
idoneo, sive conventionis s. delicti, existit. §. ult. Inst. h. t. 3. ab
effectu, in mixtam & merè civilem, Vinnius rub. Inst. de oblig.
n. 9.

119. illa est, quæ duplici nititur fundamento, æquitatis uno, & altero civilis dispositionis, unde etiam aliquando naturalis dicitur, in oppositione ad meram *l. 10. D. h. t. l. 126. §. 2. de V. Obl.* aliquando civilis, in ordine ad naturalem illam, de quâ antea, *l. 7. §. 2. D. de pact.* Hæc, quæ solo nititur fundamento civili, cum æquitate naturali destituatur, vel ab initio, si dolus intervenerit, v. g. si causam dederit contractui stricti juris, non etiam bonæ fidei, qui hoc modo nullus statim est. *l. 7. pr. D. de dolo malo.* Dissentiunt Doctores ultramontani, vel metus: vel ex post facto, si pactum in contrarium intervenerit, vel delatum sit jusjurandum, &c. *§. 3. 4. & seqq. Inst. de excepti*

§. 8. AUT EX CONTRACTU NASCUNTUR.] His jam de obligatione in genere præsuppositis, suâ sponte innotescit, de quâ Cajo nostro hic sermo sit, nempe non de obligatione in conceptu universalissimo consideratâ, sed restrictiori, Civili, eâq; ut videtur mixtâ, in genere. Jam pergit ad causas ejus Lectori exhibendas; quarum Prima est Contractus, *hoc textu.* Vocabulum v. Contractus variè accipitur; 1. latissimè, pro omni hominis facto, ex quo obligatio efficax oritur, ut etiâ in hac significatione delictum includat, ita, ni fallor, bis accipitur in *jure l. 20. D. de jud. & l. 52. D. de re jud.* Frequenter occurrit apud Philosophos, sub nomine *Συναλλαγμάτων*, quo Objectum justitiæ commutativæ adæquatum, quod etiam delicta continet, exprimere student. *Aristoteles 5. Eth. c. 3. 7. & 8.* 2. Paulo strictius, in oppositione ad delicta, pro facto licito, sic non solum cõplectitur quasi contractus & pacta Legitima, sed omnes actus licitos, ex quibus obligatio civilis efficax, licet id saltim fiat occasione eorum per legem, nascitur; litem contestationem *v. c. l. 3. §. 11. de pecul. matrimonium pr. Inst. de nuptiis, divortium, l. 65. de judiciis.* 3. iterum strictius, ut exclusis hujusmodi actibus, contineat illa negotia sola, quæ veros vulgò & quasi contractus vocant, *h. textu, l. 49. D. eod.* 4. iterum strictius, in oppositione ad Quasi contractus, pro solis contractibus veris, *§. ult. Inst. h. t. & passim.* 5. strictissimè, sed improprie, pro contractibus *διπλευροῦς*, aut ultro citroq; obligatoriis *l. 19. de V. S.* quam acceptionem, tanquam Jctis propriam, quò etiam qui-

quidam Philosophorum abrepti sunt, magnoperè miratur & suspicit *Wesenb. Par. de pactis n. 2. pr.*

§. 9. Hujus loci, ut ostendimus jam ante, est tertia significatio. In ea autem Contractus variè definitur, aliter à Jacobo Ungarello in additionibus ad *Summistas quosdam*, aliter à Glossa §. *fin. Inst. de obl.* aliter à Bartholom Socin. *Consil. 214. alio modo ab Ozerio, ad d. §. fin. Inst. de obl. Vultcio lib. 1. Jurisp. Rom. 30. Petro Nicol. Mozzio, tr. de contract. art. 2. n. 7. Filluccio c. 1. num. 2. Gudel. de jur. nov. lib. 3. c. 1.* in quâ dissentientium pugna, cum Præcellentissimo Domino Ludvvel. *Disp. 11. th. 2.* Nobilissimo Hahnio ad *Wesenb. d. 1.* ita libet: Quod sit cõventio, propriâ vi obligationem civilem producens. Iamque ut ante, dividitur in verum & quasi contractum: Verus est, qui constat expresso contrahentium consensu: Estque iterum vel nominatus, vel innominatus, *l. 7. §. 2. de pact.* ille est, qui certû & rotundum nomê habet quod naturam totius negotii exprimat, idque à jure civili vel inditû, vel approbatû. D. Frantzk. *Comm. ad D. tit. de pact. n. 13.* Estque ut notum, Realis, verbalis, Literalis, (Hunc enim Bachovius nondum è classe contractuum extirpavit, ut gloriari videtur ad *Wesenb. tit. d. pact. num. 9. lit. n. & de rebus creditis num. 9.* dum Justinianum, Sacratissimum Imperatorem, Minervæ pinguioris accusat, ad *Treutlerum Tom. 1. disput. 20. th. 2. lit. b.*) & Consensualis: Videatur tota series Contractuum in *Inst. & Digest. passim.*

§. 10. Hic, Qui tale nomen non habet, sed civilem obligandi causam *l. 7. §. 2. D. de pact. §. 4. d. l. eod.* Quid a. nomine CAUSÆ intelligatur, de eo maximi fuerunt hætenus Doctorum conflictus. *Quidam* explicant causam, de finali, *Quidam* de causâ inductivâ aut impellante, ut noviter nonnulli Batavorum, qui somniant, pactum nudum esse pactum æquivocum, eò, quod causâ ut illi volunt inductivâ, destituatur, *d. l. 7. §. 4. de pact.* ut ita non possit definiri, per duorum pluriumve in idem placitum consensum. *l. i. ff. eod.* quorum oracula refutat subtilis Vinnius, antecessor juris in illustri Batavorum Academia ingeniosissimus, *tract. de pact. c. 5. n. 8. & seq. c. 8. n. 8. eod.* Quidam intelligunt per causam, negotium Civile, quod ob utilitatem suam in civitatem receptum, & legibus Romanis ad actionem confirmatum est, atque sic generaliter con-

B

tractum



tractum definiunt, per pactum cum causâ. *Magnif. D. Doct. Tabor*
partit. element. part. 3. Sect. 3. th. 41. in ex d. 3. 1. Magnif. D. Ungepaur
Exerc. Just. 10. Quæst. 5. Quidam tandem Causam interpretantur
dationem, factum sive implementum ab alterutrâ parte, quando
præter conventionem, ab uno contrahentium quid datum, a. fa-
ctum est. *Vinn. dict. c. 8. n. 8. Bachov. ad Treutler. Tom. 1. Dissp. 6. th. 1.*
lit. d. D. Doctor Struve Syntagm. Jurisp. Tom. 1. tit. de pact. n. 31.
atque horum sententia expressè probatur per *d. l. 7. §. 2. de pact. l. 15.*
D. de præscript. verbis & tot. tit. eod. eamque calculo suo recepit
EXCELLENTISSIMUS Dominus Præses, Pæceptor & Patronus
meus piè sancteq; devenerandus & colendus. *Velit. Just. 11. th. 1. & 2.*

§. 11. Species Contractuum Innominatorum 4. recensentur
in famosissimâ *l. 5. D. de præscript. verb.* Do ut des, Do ut facias,
facio ut Des, facio ut facias, quibus addendi, contractus rerum æ-
stimatorius, *tit. de estimat.* & permutatorius, *tit. seq. de rerum*
permutat. & sic sex constituuntur, sed tantum *κατὰ τὸ λέγεσθαι* aut
secundum dici, propriè enim saltem quinque sunt, cum contractus
do ut des, à permutationis illo non differat, *arg. d. l. 5. §. 1.* ut qui-
dem putat in contrarium motus *Ant. Faber, lib. 6. Conject. c. 9.*
et cumque insecutus Schiffordeckerus, lib. 2. diss. for. ad eundem tr. 3. Q.
2. & 3. quod ego in tantum procedere existimo, ut si permutatio
in significato pressiori & proprio accipiatur, ne quidem distin-
ctio rationis, ratiocinata scilicet, ut loquuntur & distinguunt Do-
ctores Metaphysici, inter utrumque contractum dari possit. Vid.
Bachov. ad Treutlerum vol. 1. Dissp. 21. th. 6. lit. a. Magnif. Frantzck,
Comm. ad D. tit. de præscript. verb. n. 24.

§. 12. Datur ex his contractibus, actio Præscriptis verbis,
quæ ita dicitur, vel quia nullâ certâ solenni & perpetuâ formula
constabat, ut Hotomannus; vel quod ad legis normam, ut alii pu-
tant, præscripta fuerit, qua ratione, cum omnes præscriptis verbis
forent, reliquis peculiaria nomina sortitis, illi soli, quæ ex contra-
ctibus innominatis oritur, appellatio remansit. *l. 2. l. 3. l. 4. D. d. tit.*

§. 13. Dixi, quod ex his contractibus detur actio præscriptis ver-
bis; Limit. 1. modo reverà causa subfuerit, i. e. datum aliquid aut
factum sit. *l. 7. §. 2. & 4. D. de pactis l. 1. §. 2. de rer. permutatione,*
l. 3. C. eod. l. 45. D. de pact. Dissentit. Mastertius de just. Rom. leg. lib.

1. c. 3. n. 2. Limit. 2. in contractu innominato, facio ut des, ex illo enim, si quidem conditio illius, qui dare aliquid debebat, ex facto alterius locupletior facta non sit, non competit actio præscriptis verbis, sed de dolo. l. 5. §. 3. de præsc. verb. atque ita difficillimum textum cum Azone, cujus opinionem ab omnibus receptam fuisse testatur Jason, in d. l. Solidissimo Frantzio tit. de præsc. verb. n. 41 & Bachov. ad Treutl. d. d. sp. th. 16. accipio, ut sc. loquatur de facto tali, per quod conditio illius, quem aliquid dare ex contractu oportebat, melior facta non est, ut ita deficiente Συλλαγματε l. 65. §. 1. & 2. de cond. ind. civilis actio, i. e. præscriptis verbis, dari non possit. diff. Donell. in tr. de præscript. verb. c. 25.

§. 14. Haftenus de contractu vero. Quasi contractus est, qui constat consensu non expresso, sed ficto & autoritate juris præsumpto. Sunt equidem hic non pauci, qui nodum in scirpo investigantes, negant, hæc negotia rectè vocari quasi contractus, quod nullibi ita in jure dicantur; Verum minus rectè, sufficit enim quod virtualiter ita vocentur, cum verò verius fit, quod ad obligationes pariendas, sese habeant quasi, i. e. tanquam cōtractus; Vid. Bach. ad pr. Inst. de oblig. que quasi ex cont. facit, quod hæc ipsa vocula, quasi, essentiam eorum magis exprimat, dum importat & similitudinem, quam ratione objecti, quod est factum licitum, habent cum contractibus veris, & dissimilitudinem ab iisdem, ratione sc. consensus à lege præsumpti. Vinnius ad pr. Institut. d. tit. n. 2.

§. 15. Dicitur obligatio ex quasi contractibus descendens, ex re venire, l. 46. D. h. t. & sic cadit etiam, i. in furiosos & mente captos, qui re ex propriâ ipsorum personâ æstimatâ, neque activæ neque passivæ obligationis, nequidè curatore autore, habile subjectû constituunt, l. 5. de reg. jur. 2. in prodigos, qui sine curatoris consensu, nequidem naturaliter in effectu obligantur, l. 6. de V. O. l. 40. de reg. jur. quamvis juraverint, arg. l. 5. C. de leg. etiam si quæras de jure Canonico. c. 26. X. de jurejur. 3. in pupillos, cujuscunque fuerint ætatis, d. l. 46. h. t. cum alias etiam pubertati proximi, naturaliter, quoad omnes effectus, sine tutore non obligentur, l. 9. h. t. l. 41. de cond. ind. l. 3. §. 2. ff. ad SC. Maced.

B 2 §. 1.

§. 16. 4. In minores, *arg. d. l. 46.* Cum alias & ipsi curato-
rem habentes, quantum ad alienationem rerum attinet, sine con-
sensu illius non obligentur, *l. 3. C. de in integ. rest.* quamvis contra-
ctum celebrare possint. *l. 101. de V. obl. vid. Nobiliss. Dn. Præses, ve-
lit. Just. 5. th. 2. lit. B. & C. 5. in ignorantibus §. 1. 2. & seq. de oblig. quæ
quasi ex cont. l. 2. de neg. gest.*

§. 17. Species quasi contractuum, ut de iis breviter videamus,
5. à sacratissimo Nomotheta adferuntur, *tit. Inst. de oblig. quæ qua-
si ex cont. 1.* Negotium gestio, quæ quis alterius absentis & igno-
rantis negotia, sine mandato utiliter gerit, Harpp. *ad §. 1. d. tit.*
Tenetur negotiorum gestor, regulariter ad levissimam culpam
præstandam, §. 1. *Inst. d. tit. §. 2. inst. Q. m. re cont. obl. l.*
24. C. de usur. Harpp. d. l. cum plurib. ibid allegatis: Conferri ta-
men possunt quæ habet *D. Frantzk. Exerc. 11. Q. 7. & ad tit. de
neg. gest. n. 25. & seq. & discipulus quondam ejus, singulari eruditio-
ne lectus, Fibigius, Coll. leg. Diss. 11. Q. 7.*

§. 18. 2. Tutelæ administratio §. 2. *Inst. d. tit.* Obquam tu-
tor non solum de culpâ lata, sed etiam levi tenetur, *l. 23. de reg. jur.*
Non tamen levissima, *l. 18. de tutel. & rat. l. 33. pr. de adm. & per. tut. l.*
*4. l. 7. C. de arb. tut. nisi in suis rebus exactissimâ diligentiam adhibeat,
d. l. 1. tut. & rat. 3.* Rerum s. singularium, s. universalium communi-
o, §. 3. 4. *Inst. de obl. quæ quasi ex cont.* descendit ex hac, 2. actio Fa-
miliæ Herciscundæ, & Comuni dividendo *ad ll.* quæ utraque
ex duplici jure, in re & ad rem fluit, atque inde etiam
mixta eo sensu dicitur, §. 20. *de action. add. l. 22. §. 4. fam. Herc. l.*
*55. D. eod. l. 3. l. 4. §. 3. Comm. divid. manente actionum in reales
& personales divisione, §. 1. Inst. d. tit. l. 25. pr. D. ht. nihilominus u-
niversali. Bachov. ad. pr. Inst. de act. Diss. Hunnius lib. 4. resolut.
part. 2. Q. 6.*

§. 19. 4. Hereditatis aditio §. 5. *Inst. de oblig. quæ qua-
si ex cont. l. 5. §. 2. D. h. tit. ex quâ,* ob consensum præsumptum, qui ni-
titur in eo, quod qui velit antecedens, succedere sc. in universum
defuncti jus, velit etiam consequens, onera videlicet legatorum
& fideicommissorum. *d. l. pr. 5. Indebiti solutio. §. 6. Inst. d. tit.*
cujus 4. sunt requisita; 1. ut aliquid reverà sit solutum §. 6. *Inst.*
*d. t. aut saltem cautum l. 7. C. de non. num. pec. 2. ut illud vel pla-
ne nõ debeat, vel saltem ex obligatione juris naturalis in specie,*
a. juris

a. juris Gentium, improbata à jure civili, l. 16. D. ad SC. vellei. l. 9. C. eod. aut merè civili aliquando, l. 40. de cond. ind. 3. ut per errorem solvatur, d. 6 ubi tamè distinguendum inter errorè juris & facti; Hic regulariter repetitioni locū facit, l. 9. C. ad leg. Falc. l. 7. de cond. ind. ille tum demū, si nulla subfit qualiscunque obligatio d. l. 9. C. l. 7. l. 8. D. de jur. & facti ign. Non obft. l. 10. C. eod. 4. ut acceperit alter solutum bonà fide, alias enim furto obstringeretur, l. 43. §. 1. de furt.

§. 20. **AUT EX MALEFICIO** Secunda obligationum Civilium causa, est maleficiū. *h. textu.* Sumitur vocabulum maleficiū aut delictū variè. i. latè, ut contineantur omnia facta illicita, etiam ea, quæ non privata actione, sed publico judicio coercentur; & sic etiam delicta publica, quæ crimina in specie dicuntur, continet, l. 9. §. 5. D. de public. & veēt. l. i. pr. de publ. jud. 2. Strictius, in oppositione ad crimina, pro solis delictis privatis, tam quasi, quæ veris delictis, l. 4. D. ht. l. 14. D. eod. §. 1. §. 18. Inst. de act. §. 1. Inst. de perp. & temp. act. 3. strictissimè pro solis veris, §. 2. Inst. h. t. tot. tit. Inst. de oblig. quæ quasi ex malef. Secunda significatio, hujus loci propria esse videtur tum quia Cajus noster in. d. l. 1. ne verbulo quidem delicta publica tangit, tum ex rubrica tit, quæ non agit de quibuslibet actionibus, sed privatis ad interesse privatorum competentibus, Gothof. ad eand.

§. 21. Est a. in hâc significatione, ut jam ante subinnuimus, delictum aliud verum, aliud quasi: illud est, quod ex *πρὸς αὐτὸν* a. dolo committitur. pr. Inst. de obl. quæ quasi ex delict. l. 15. de judic. §. de vi bon. rapt. l. 3. pr. de injur. & p. as. sim. Hoc, quod culpa aliqua perpetratur, d. pr. Inst. de oblig. quæ quasi ex del. l. 1. l. 5. §. 4. D. ht. illius species sunt 4. Furtū tit. Inst. de obl. quæ ex delict. & tot. tit. D. de furt. Rapina tit. Inst. & ff. de vi bon. rapt. Damnum ex lege Aquilia, sc. si dolo datum fuerit, secus est si culpâ tantum, §. 3. Inst. de leg. Aq. l. 44. D. eod. & injuria, l. 4. D. ht. tot. tit. Inst. & D. de injur. Hujus vero vid. in rot. tit. Inst. de obl. quæ quasi ex mal. & in ff. p. as. sim.

§. 22. Hic vero ulterius duo generaliter tenenda, i. obligationem ex delicto omnis consensus esse expertem, adeoque unius generis. arg. pr. Inst. de obl. quæ ex del. Idque non tantum de consensu expresso procedit, sed etiam præsumpto. Sicut enim consensus præsumptus specialis, in ipsum factum immediatè directus;

citra absurditatem subesse non potest, ita quamvis generalis quidam vel in Reip. jurisdictionem, aut magistrarus constitutionē atque inde dependentē legislationem, admittatur, *Hilliger. Donell. enucl. lib. 15. c. 23. lit. b.* ille tamen, citra manifestā juris in re, cum jure ad rem confusionem, in materiā obligationū nihil omnino operari potest. *Magnif. D. Frantzk. Exerc. 12. Q. 1.*

§. 32. 2. In delinquentibus doli requiri capacitatem, §. 18. *Inst. de obl. quæ ex del.* cum omnia maleficia ex voluntate & intellectu delinquentiū æstimentur *l. 53. pr. D. de furt. c. 2. caus. 15. quest. 1.* Cæterum in illis nihil refert, utrum 1. fuerint homines liberi, an verò servi: Licet enim Servi de jure civili pro nullis habeantur, *l. 32. de reg. jur. & pecudibus plane comparentur, l. 2. §. 2. ad leg. Aquil.* illud tamē in illis, quæ sunt juris naturalis non obtinet. *d. l. 32. 2.* An fuerint impuberes, modo doli, ut dictum, capaces extiterint, *d. §. 18. Inst. c. 1. X. de delict. puer.* exceptis publicis delictis carnis, *d. c. 1. l. 36. ff. ad leg. Jul. de ad. Culpâ, c. 2. X. eod.* imò ipsis etiam delictis veris, quoad pœnam ordinariam, *d. c. 2. l. 108. de reg. jur. Gomez. 3. resol. 1. n. 57.* quod etiam observatur de jure Saxonico, *Sandrecht lib. 2. art. 65. Scheidew. pr. Inst. de aut tut. n. 20. 3.* an fuerint minores, (de majoribus enim dubium non est.) *d. l. 36. de adult.* Qui licet restitutionis fruantur beneficio, contra delicta tñ. dolo perpetrata, non restituntur. *l. 9. §. 2. de minor. l. 1. C. si adv. del. nisi culpa tantum intervenerit, l. 2. C. eod.* quamvis etiam in illis, pœna ordinaria non semper habeat locum. *l. 37. §. 1. D. de minor. l. 108. de reg. jur.* etiam de jure Saxonico, *Nov. Constit. Elect. Aug. part. 4. Const. 22. v. Do aber wegen der Jugend ibiq. Magnif. Carpzov. Def. 3.*

§. 24. 4. An in delicta influant directo, an verò per indirectum, veluti, si inebriati illa designaverint, aut erraverint in personā: illi enim non agunt involuntariè, aut per ignorantiam, ut ostendūt Moralistæ, sed ignorantes saltē, & sic etiamnum reverā delinquent. *Biel. 2. sentent. Dist. 22. q. 2. pag. 121.* Hi vero, licet errent in individuo, ille tamen error accidentarius, non mutat id, quod per se in mente de homine occidendo erat conceptum, *l. 18. §. 3. de injur.* id quod, quoad utrunque etiam procedit in criminibus admisis, nisi quod extremè ebrius extraordinariè demum, *l. 6. §. 7. de re mil. can. 7. c. 9. X. causa 15. Q. 1. Magnif. D. Carp-*

*Carpzovius Jurisp. for. part. 4. Const. 1. definit. 4. n. 2. Damhoude-
rus Prax. Crim. c. 61. n. 23. errans vero in personâ ordinariè punitur,
l. 7. C. ad leg. Corn. Harpp. ad §. item Lex Cornelia, Inst. de publ
jud. n. 117. & seq. suffragante etiam jure Saxonico, part. 4. Const
El. Aug. 6. ibiq. Carpz.*

§. 25. 5. An fuerint delicti causa Physica, quatenus imme-
diatè illud designant, an vero causa Moralis, in quantum vel man-
dato, consilio a. ope, adeoque imputative s. moraliter delinquant,
§. 7. Inst. mandat. ibiq. Doct. §. 11. de obl. quæ ex del. vid. Vinn. ad d.
loc. Nam & hi, ob proprium tenentur dolum, arg. l. 15. D. ad leg.
Corn. de sicar. l. 11. §. 3. de injur. & sic eadem etiam pœna, qua illi,
sunt afficiendi l. 7. §. 5. de Jurisd. d. l. 11. §. 3. de injur.

§. 26. AUT PROPRIO QUODAM JURE, EX VARIIS
CAUSARUM FIGURIS) Binas hæctenus obligationum civilium
causas exposuit ICTUS, jam ad reliquas progreditur, verbis modo
dictis, quæ insigniter Doctorum torserunt ingenia, cum subobscura
sint, nec clarior eorundem in seqq. intellectus. Videtur mihi Ictus
tres adhuc civilium obligationum apposuisse fontes, Legem, Pa-
ctum Legitimum & Pactum Adjectum.

§. 27. Tertiâ itaque Obligationum Civilium causa, est Lex,
quæ sine prævio hominis facto, a. prævio quidem, non tamen ef-
ficienter considerando, obligationem producit. arg. l. 52. §. 5. D. h. t.
quæ inde immediatè Doctores dicitur Vid. Goth. Ant. Disp. Antivol-
rej. 3. tb. 20. & seq. Plures, occurrunt hujusmodi in jure obligationes,
conspicuum earundem exemplum habetur in illâ, quâ fur de re
ablatâ Domino rei tenetur, ad eam ex lege dandam, arg. §. 14. Inst.
de act. v. effectum est. Quod hæc obligatio sit efficax, ex effectu e-
jus, conditione furtiva, quâ rem nostrâ irregulariter & quoad for-
mulam saltem condicimus, Bachov. tr. de act. Disp. 4. tb. 20. lit. a.
(quo sensu vexatissimum textum in §. 14. Inst. de act. accipio) pa-
tet. tot. tit. D. de Condiç. Furt. Neque enim illa ex delicto est, ut
contendit subtilissimus Faber. 4. conj. 1. & 8. aliq. tum vetustiores,
Cynus, Dynus, Bartol. Accursius, tum recentiores, Wesenb parat.
de cond. furtiv. n. 7. & novissime cum Fabro Vinnius, Comm. Inst. §.
ult. de oblig. quæ ex del. nasc. Neque mixtâ causam habet, i. e. ut in-
terpretantur, est ex delicto ex parte rei, ex Dominio vero ex parte
acto-

actoris, ut putant *Salicetus* in l. 7. §. fin. D. de cond. furtiv. Ang. *Ar-*
itinus §. 1. *Inst. de act.* & eos insecutus *Treutler*. Tom. 1. *Disp.* 22. th.
2. lit. b.

§. 28. Sed ex lege, ut Doct. loqui amant, dativa, i. per. §. 14.
Inst. de act. vers. effectum est. 2. rationem, quia conditio furti-
va datur adversus heredes, lite non contestata, in solidum, l. 9. de
cond. furtiv. quod non fieret, si esset nativa ex delicto, l. 4. in fin. §. 6. 7. D.
alien. judic. mut. causa l. 22. C. de pœn. l. ult. C. rer. amot. l. unic. C. ex
delict. defunct. (quamvis longe hinc in contrarium disputet *Ant.*
Fab. d. l. & post eum *Vinnius Comm. Inst.* §. 1. de perp. & tempor.
act. n. 2.) interim tamen furtum, ad illam ex lege obligationem
& actionem, sese habet ut causa sine qua non, ratione scilicet objecti
a. rei, quam persequitur, quæ dum furtiva est, furtum quoque
aliquod præsupponit. vid. *Bachov.* ad *Treutl.* Tom. 1. *Disp.* 2. th. 12.
lit. b. *Disp.* 4. de act. th. 21 & seqq. *Magnif. D. Frantzke Comm. ad D.*
de cond. furt. n. 6. & seqq.

§. 29. Hoc unum est obligationis ex lege exemplum, sunt ve-
ro & alia plura. Sic ex constitutione D. Pii, pupillus locupletior
factus, civiliter obligatur, l. 3. §. 4. D. de neg. gest. l. 3. pr. D. com-
mod. l. 5. pr. in fin. D. de aut. tut. *Harpp.* tit. de aut. tut. pr. n. 28.
Sic ex lege 12. tabularum, Sui statim ipso jure heredes existunt,
& creditoribus hereditariis, æquè ac servi, necessario & inviti o-
bligantur, §. 1. §. 2. *Inst. de her. qual.* & diff. eodem modo, testator
tenetur heredi relinquere Falcidiam, pr. *Inst. ad leg. Falcid. tot. tit.*
ff. & C. eod. & filiis legitimè exhereditatis, pr. & §. 1. *inst. de exher.*
lib. vel præteritis aliquando, §. ult. *Inst. eod.* ne querelam movere
possint Legitimam, quæ olim quartam bonorum defuncti partem,
§. 5. *Inst. de inoff. test.* l. 8. §. 8. ff. eod. hodiè vero trientem vel se-
missim conficit, *Nov.* 18. c. 1. add. l. 5. pr. §. 12. 14. 15. D. de agn.
& alend. lib. & si qui plures sunt de obligationibus hisce, textus.

§. 30. Quarta obligationum Civilium causa, est pactum
legitimum, l. 6. D. de pact. Quod mandante simplici conventionis
forma, ex speciali legis confirmatione, vel ad producendam, vel
tollendam obligationem & actionem efficacæ redditur *ad. ll.* Dicitur,
i. manente simplici conventionis forma: quo ipso differt à con-
tractibus, qui non extrinsecè, sed intrinsecè ab autoritate juris Ci-
vilis

vilis vestiuntur, ut non subsistant in forma pactorum, sed novam
ipsis illis contradistinctam, induant. *Vid. Vinn. tr. de pact. c. 4. n. 10*
& seqq.

§. 31. Dicitur 2. Speciali confirmatione. Quo iterum
differt à contractibus, s. eos intelligas juris Gentium, qui licet &
ipsi à jure civili confirmari dicantur, §. 1. *Inst. de oblig. & passim*,
illud tamen verum de confirmatione generali, quæ eo ipso, quo
recipiuntur, accedit: sive juris civilis, verbales & literales, quippe
qui certâ à jure illo formâ acceptâ, manifesto satis à pactis legiti-
mis differunt. *Vinn. d. l. n. 10.* Dicitur 3. Legis. Quod voca-
bulum, in sensu latiori quodammodo est exaudiendum, ut etiam
jus Prætorium includat, exemplo constituti. *l. 25. D. de const. pec.*
& pignoris, *l. 17. §. 2. ff. de pactis.* *Frantzk. Comm. ad D. tit. de*
pact. n. 34.

§. 32. Dicitur 4. vel ad producendâ, *d. l. 6. d. tit. vel tollendâ obli-*
gatione, l. 17. §. 1. D. de pact. sc. ipso jure, d. l. Nâ alias per pacta nuda,
etiam tolluntur stipulationes, contractus reales, &c. verum non
ipso jure, cum consensu sublato, subsit nihilominus fundamen-
tum, cui obligatio civilis innititur. *l. 27. §. 2. d. tit. ut propterea ob-*
stet. l. 35. de reg. jur. sed demum per oppositam exceptionem, tot.
tit. Inst. & D. de except. l. 7. §. 4. ff. de pactis. Speciale quid est in con-
tractibus consensualibus, qui re adhuc integra, contrario dissensu
ipso jure tolluntur, §. ult. *Inst. Q. mod. obl. tollit.*

§. 33. Exempla pacti Legitimi *vid. in l. 30. D. de usuris. l. 7*
D. de fenore Nautico. l. 5. §. 1. D. eod. l. 12. C. de usuris. Nov. 136. c. 4.
Dissentit Connanus 3. Comm. n. 2. & 3. l. 6. C. de dotis promiss. Diss.
Donellus ad l. 10. C. d. tit. existimans, promissionem dotis esse conven-
tionem cum causâ, sive contractum innominatum. l. 35. §. ult. C.
de donat. v. ex lege nostrâ. §. 9. Inst. de act. l. 25. D. de const. pec. l. 17.
§. 2. D. de pact. vid. Vinnius d. tract. de pact. c. 5. per totum.

§. 34. Quinta & ultima obligationum Civilium Causa, est
Pactum adjectum, quod cum in se nudum sit, vim producendi o-
bligationem civilem, à contractu cui in continenti additum adha-
res, participat, *D. Frantzk. Comm. ad D. tit. de pact. n. 36. l. 31. §.*
ult. D. de edil. edicto. l. 7. §. 5. de pact. l. 13. C. eod. Ubi v. tria quam-
opere attendenda; I. Phrasin, in continenti, civiliter esse ex-
audiendam, ut sufficiat, pactum contractum perfectum statim esse

C

inse-

nsecutum, per text. in l. 7. §. 5. v. ut si quidem in continenti, D. de pact.
l. 31. C. de edil. act.

§. 35. 2. Pacta adjecta inesse ex parte actoris, non solum
in b. f. contractibus, sed etiam contractibus stricti juris, per tex-
tum capitalem in l. 40 de reb. cred. Magna equidem inter juris in-
terpretes de eo est cōtroversia. I. Praeclari nominis Icti & Neoteri-
ci ad unum ferè omnes, pacta b. f. contractibus saltem inesse vo-
lunt. 1. p. d. l. 7. §. 5. de pact. quæ nominatim de bonæ fidei contra-
ctibus loquitur. 2. l. 99. de V. Oblig. 3. quia contractus bonæ fidei
sint δ. πλευροί, aut sinon, saltem præstationes doli & culpæ recipi-
ant, quod vero de contractibus stricti juris affirmari non possit.
Atque hanc sententiam tenent, Accursus, Cujacius ad d. l. 7. Donel-
lus ad l. 13. C. eod. Treutler. Tom. 1. Disp. 6. th. 10. lit. A. & B. Ant.
Perez. in Cod. de pactis n. 20. Henricus Zoësius Comm. ad D. d.
tit. n. 61. Vinnius Comm. ad Inst. §. 2. de oblig. n. 8. & tractatu de
Pactis c. 10 per tot. & alii plures. 2. Bachovius ad d. Treutleri locum
Hahnus ad Wesenb. tit. de pact. n. 9. aliq̄, respectu contractuum
stricti juris, distinguunt inter stipulationem & mutuum, illique
inesse pactum adjectum, huic v. quia contractus sit realis, non i-
tem, ajunt

§. 36. Verum si liberè sentire liceat, quod salva præcellentif-
simorum Ictorum autoritate dictum volo, nullibi firma res est;
Priorum quod attinet rationes, resp. ad n. cum Excellentissimo
Domino Præsidente, Præceptore & Mœcenate meo, omni pietatis stu-
dio religiosè mactando, Velit. Just. n. lit. f. & g. Committi falla-
ciam à dicto secundum quid, ad dictam simpliciter; dicit Ictus
ULPIANUS in d. l. 7. §. 5. Quinimò interdum (Pactum) format
ipsam actionem, ut in bonæ fidei judiciis: At v. ibi regula non
habetur de solis b. f. contractibus, nec loquitur Ictus taxativè, sed
exemplificativè tantum, id quod ad oculos patet ex particulâ πα-
ραδειγματικῆ, Ut. 2. ad d. l. 99. de V. Obl. in d. textu non excludi pa-
ctum in continenti adjectum, quippe quod pro expresso habetur,
l. 4. §. 3. D. de pact. sed extensionem per officium judicis, per quod in b.
f. judiciis, etiam ea veniunt, de quibus non fuit expressè actum.
Bachov. d. l. Ad 3. rationem illam esse impertinentem, eaq̄; com-
mitti petitionem principii.

§. 37. Posteriorum rationem quod spectat, mutuo quia sit contractus realis, Pacta adjecta ex parte actoris inesse non posse, minorem cum jurisconsultissimo Domino Præside, d. l. re probanda esse censeo, eò, quia commodatum, depositum & pignus etiam sunt contractus reales, & tamen illis, hoc non obstante, pacta ex parte actoris insunt. Rectior itaque est sententia *Gaddai, de cont. stipul. c. 8. n. 37. Hotomanni, Illust. Q. 36.* aliorumque, qui pacta adjecta in continenti, omnibus indistincte contractibus inesse asserunt, in quorum castra concedit etiam Nobilissimus Dn. Præsides, d. l. eaque opinio probatur, per d. l. 40. de rebus credit l. 48. D. de pact. l. 9. D. de eo quod certo loc. l. 4. §. 3. D. eod. tit. de pact.

§. 38. Tertiò & ultimo hic notandum. Pacta adjecta esse vel de substantialibus vel naturalibus, nam de accidentalibus nulla est difficultas, contractuum. Quoad substantialia distinguendum, an pactum illud juri omnino contrarietur, an vero non: illic, s. in continenti sive ex intervallo accesserit, plane non valet. l. 27. §. 3. de pact. l. 12. de precario. l. 11. §. 1. D. de reb. cred. Hic dist. an in continenti, an vero ex intervallo accesserit: il'ud vel est contra substantiam contractus, & tunc eundem in novam plane speciem immutat. l. 80. §. fin. D. de cont. empt. l. 46. D. locat. §. 2. Inst. Q. m. re cont. obl. §. ult. mandat. vel præter ejus essentiam, & tunc alterat eundem saltem l. 24. l. 26. Deposit. vel secundum eam, ubi extra dubium valet §. 1. §. 2. Inst. de soc. Si ex intervallo accesserit, aut res ad huc integra est, quo casu, qui tamen in solis contractibus consensualibus locum habet ita inest contractui, ut quasi de novo renovatus videatur, l. 7. §. 6. de pact. l. 72. pr. de cont. empt. vel non; quo casu, reo saltem ad exceptionem prodest, l. 58. de pact. Quantum ad naturalia contractuum, is, si pactum incontinenti adjiciatur, format ipsius contractus essentiam. l. 7. §. 5. D. d. tit. sin ex intervallo, reo prodest ad exceptionem, d. l. vid. eleganter D. Struve tit. de pact. n. 23. & seqq. ubi ea, quæ alii confusius tradunt, ita connectit. *Add Treutl. Tom. 1. disp. 6. th. X. ibique Bachovius.*

§. 39. Hactenus de causis obligationum Civilium, (plura enim nisi brevis amabilior me inceserit, disputari poterant) secundum jus Justinianæum, quod tamen hodiè paululum immutatum

ratum obtinuit; cum non tantum de jure Canonico, ut volunt
Dd. comm. c. 1. & 3. X. de pact. c. 12, caus. 22. Q. 5. c. 8. causa 20. Q.
1. quamvis de eodem non sine ratione dissentiat Fachinaeus, 2. cont.
100. & cum eo alii; sed & novissimo, quod in Praxi observatur, in
omnibus curiis ex nudo pacto, serio & deliberato inito, secun-
dum simplicitatem juris Gentium, actio detur *Gudel. lib. 3. de
jure Nov. c. 5. Vinn. tr. de pact. c. 7. n. 6. Magnif. D. Carpzovius ju-
riss. For part. 2. const. 19. dec. 17.* Exceptis videlicet promissio-
nibus, inconsideratis, temerariis, & ut vocare solent, aulicis, quan-
do non dispositivè, sed vel aliud agentes, a. officiosè adulantes,
quod tamen unde enatum sit, ipsemet libenter ignoro, loqui-
mur: iisque actibus, quos tractatus contractuum Pactorumve
præambulos, schlechte und bloße Fürschläge/ vocamus, *Vinn. d. l.
Berlich. decis. 142. & seqq. Menoch. conf. 893. n. 12 & 13.* Hisce
quia pagella proposito evaserunt longiores, in por-
tum me recipio.

Soli Deo Gloria



WITTENBERG, Diss., ERG. B. D.,
1. 1612/1667

ULB Halle
005 377 20X

3




nicht verbewerten

W 177

Wilb. Felger
Buchbinderei
Bismarckstr. 8





REGENTE.
 CIVRIDICVM
Digestis
 I. pr. de Obliv
 esolutivum,
 Nobilissimi JCtorum
 rea ordinis,
 ÆSIDIO
 R I
 mi atq; Excellentissimi,
EDI SVEVI, J.U.
 cissimi, Curia Electoralis,
 s, Consistorii Ecclesiastici &
 tia, Assessoris eminens-
 mi,
 toris mei, æviternum
 devenerandi,
 nmiltonum Examine &
 i submitto,
ISTA RITTERUS,
 AUTOR.
 in
 o JCtorum
 Decemb.
 BERGÆ
NNIS HAKEN.
 Is LVII.

47a
 1825.
 23

